


resorted to intelligent guesswork where the diligent inquiries of his scientific colleagues have failed to produce certitude. Grateful acknowledgement is here offered to a number of colleagues and friends at the University of Natal and at the Natal Museum for illuminating several dark places in this portion of the text.

K. D. WHITE

ORATIO LATINA  
DE  
PROMONTORIO  
BONAE SPEI  
IN SCHOLA HAMBURGENSE  
D. X APRILIS MDCCLXVII.  
PUBLICE RECITATA  
A  
GIESBERTO HEMMY, Afro.



---

HAMBURGI  
LITTERIS DIETERICI ANTONII HARMSEN.



rae large esse praeditam, ut vix ulla alia regio orbis terrarum cum illa dignitate & abundantia possit comparari. Virgilius croci & eboris mentionem facit:

*Nome vides croceos ut Tmolus odores*

*India mittit ebur?*

Horatius Indiam opulentam & divitem appellat. Silius Italicus vero incolas hujus regionis vocat odoratos, sine dubio ob odores & aromata, quae inde in Europam deferuntur. Et cui reliqui pretiosi proventus hujus magnae terrae sunt incogniti? Quae regio auri, argenti, margaritarum, gemmarum, arborum, animalium, & naturae miraculorum fertilior est? Non igitur est, quod miremur, follers ingenium Europaeorum tandem tot tantisque periculis laboribusque superatis cursum per vastissimum mare invenisse, & negotiationem in India constituisse. Quo facto, Europa plane aliam multoque meliorem speciem induit. Erat enim haec negotiatio fere fons inexhaustus, ex quo maxima emolumenta redundabant. Europaeis apud potentissimos Orientis populos maximam gloriam comparabat. Erat cum propagatione christianae religionis inter barbaras gentes conjuncta. Augebat copias navales. Locupletabat regna & respublicas Europaeorum. Exacuebat artes & scientias. Praeterea multis Europaeis in condendis tot coloniis ad potentiam viam muniebat. Quid multa? Dabat Europae, scientiis atque mercaturae novam quasi vitam, quam nunquam  
sine



sine hac consecuta esset. Sed nunquam, ut ego quidem arbitror, haec ipsa in Indiam negotiatio & navigatio tantum gradum perfectionis attingere potuisset, nisi Lusitani & Batavi rectum cursum juxta promontorium bonae spei & totam Africam detexissent. Vos, spectatissimi Auditores! hac in re plane mihi assentiemini, si mihi pace vestra hujus promontorii, quod summi numinis providentia patriam meam esse voluit, brevem descriptionem delineare licuerit. Adhibebo omnem diligentiam, ut favorem vestrum, si minus elegantia Orationis, certe tamen fide & brevitate mereri possim.

Promontorium bonae spei descripturus, praecipue duo momenta dilucidabo, quae attentione vestra, Spectatissimi Auditores! indigna non videbuntur. Primum vobis naturam & conditionem hujus celebris promontorii ostendam. Deinde historiam faustae detectionis illius & emolumentorum, quae inde in illustrem societatem indicam redundarunt, breviter delibabo. Promontorium bonae spei in ora Caffreriae situm est. Antiqui incolae erant Hottentottae, quod nomen ab insolente lingua, qua glorientibus gallis Africanis similes sunt, acceperunt. Hoc genus hominum est salubri corpore, velox pedibus, impatiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui aut telis aut bestiis intereunt. Colore fusci potius sunt, quam nigri. Sunt quidem proceri, sed macilentissimi,  
lenti,



Auditores omnium Ordinum  
Honoratissimi!



Inter omnes partes mercaturae cum exteris populis & nationibus Indica primum & praecipuum locum sine dubio obtinet.

India quidem, quamdiu propter crudelitatem incolarum adiri non poterat, Europae maxime ignota erat. Id tamen ex veterum Graecorum & Romanorum scriptis innotescebat, Indiam admodum fecundam, & thesauris natura

A 3  
rae

lenti, & tamen tam robusti, ut bovem curfu concitatum retineant. Habent pulchros, sed stillantes oculos, depressas nares & ora foetida. Dentes illorum candidi sunt, instar eboris. Digni unguiculis, ut unguibus aquilarum instructi. Suprae graeciles, pedes parvi. Capillus lanæ similis, & dependentibus corallii, variis crepitaculis, plumbo cyprio & orichalco ornatus est. Plurimi nudi incedunt, aut pellibus ovillis, quas Krossen appellant, pro vestibus utuntur, vendenda autem præcincitorio, quod Kul-Kross dicitur, obvelant. Mulieres longis mammis præditæ sunt, quas trans humeros jactare & infantibus præbere possunt. Corallium maximum illarum ornamentum est. Faciem & corpus suum unguento ex adipæ, butyro & fuligine facto contra ardorem solis inungunt. Aliqui cruda, reliqui semicocta carne animalium vescuntur & horum viscera per dentestrahunt. Talium & vinum adustum in deliciis habent. Saepe mutua inter se læti convivia agitant & ad concentum instrumenti musici, cui nomen est Gomgom, fatis commode saltare dicuntur \*). Nec civitates, nec domus habent, sed aut in tenuibus tuguriis habitant, aut catervatim vagi & palantes ex uno in alium locum migrant. Nec adeo stupidi sunt, nec

a

\*) Hoc instrumentum est ferreus aut ligneus arcus modo plexis intestinis ovillis, modo nervis intentus, quo applicato raucos quosdam & incinnos sonos eliciunt. Mulieres ollam fistilem lævigata pelle ovilla inductam instar tympani pulsant.

a cultu religioso plane alieni \*). Leges quidem scriptas ignorant, sed tamen perfidiam, adulterium, incestum, & caeteram exosi naturalem legem in ipsorum corde scriptam esse testantur. Beneficentia & hospitalitate in cives suos & peregrinos multis Christianis antecellunt. Inprimis justitiae servant-

\*) Iuvat hic observationem a dilectissimo favore mecum communicatam apponere: Errant, inquit, qui Hottentottas supremi Numinis plane ignaros esse somniant. Agnoscunt enim Deum Deorum eumque beneficentissimum beatissimumque supra lunam in illustri loco degere existimant. Interrogati vero, cur nullo ipsum cultu prosequantur? Reponunt: *Hanc invisibilem Deum, quem GOVUNJA TEXQUOA vocant, majorem suorum delictis graviter offensum tantas eorum tenebras offudisse, ut, quid esset & qua ratione colit deberet, adhuc minime constaret.* Tamen hoc adeo incognitum numen sub specie lunæ tanquam Dei visibilis multis gestulationibus venerantur. Cum enim luna se curvare coepit in cornua aut plenum orbem implevit, omnes cujusvis Krallæ, i. e. pagi incolæ conveniunt, dies noctesque saltando transigunt, & tandem complolis levatisque in sublime manibus hoc inconditum carmen canunt: *Mugchi, Aræ, Semibar, Êææ, Chonquakaba, Chori, Ounqua*; id est: *Faxis, ut adfatim mellis habeamus.* Faxis, ut armenta pabulo & lacte abundant. Denique saltando, cantando gesticulandoque fatigati pro more suo in genua subsidunt, capita manibus sustentant & paulatim requiescere viam hanc sollemnitate finiunt. Præter lunam etiam insectum quoddam scabacis simile religiose colunt, cui & Diabolo, quem *Touqua* nominant, averruncandi mali causâ sacrificia offerunt. Conferatur Kolbii Promontor. bonæ spei hodiernum pag. 410 seqq. & Samml. aller Reisebeschreibungen, Tom. V. 174.

B



servandae exercendaeque admodum tenaces sunt. Tinnulae rationes nullam apud eos vim habent ad persuadendum, multo minus rabulae justorquentes inter ipsos inveniuntur. Litigantes ipsi suas causas perorant, iudices cognoscunt & subductis rationibus decidunt\*). Aurum & argentum in pretio non habent, sed simplicius antiquiusque permutatione mercium utuntur. Constant e septem variis nationibus, quarum quaeque regulo suo gaudet, quem aeneo diademate a Batavis donatum *Konquer* vocant. Prima *Gunjemans* complectens non longe a promontorio abest. Hi aut illustri societati, aut civibus servitia praestant, aut etiam a rusticis & colonis in agricultura adhibentur. Altera silvas & cavernas montium incolens de eo vivit, quod mansuefactis Hottentottis, quibuscum continua bella gerunt, eripiunt. Tertia Macqua minor, quarta Macqua major, quinta Kricqua minor, sexta Kricqua major appellatur. Macqua & Kricqua vocabula sunt regem aut ducem significantia. Septima denique Cafreeris hominum omnium crudelissimis atque ipsis adeo Hottentottis infensissimis absolvitur\*\*). Quae nationes etsi fere

con-

\*) Vid. *Samml. der Reisebesch.* Tom. V. 178.

\*\*\*) Sequutus sum in describendis diversis Hottentotarum nationibus auctores der allgemeinen Weltgeschichte Tom. XXVI. S. 447. Kolbius septemdecim nominat, nempe Gunjemans, Kachoquas, Suffiquas, Udiquas, Chirigiquas, Namaquas, Attaquas, Chorogauquas, Koopmanns, Hessaquas, Sonquas, Dunquas, Damaquas, Gauriquas, Houteniquas, Chumtours

ers



continuis bellis implicitae sunt: tamen non permittunt, ut una plane pessundet, verentes, ne aequilibrium potentiae pereat.

Maxime Hottentottae societati Batavorum addicti injuriis ceterorum expositi sunt. Simulatque autem in periculum incidunt, ne a ceteris subigantur, duce quodam cum parva manu ad promontorium se conferunt. Dux cum proceribus Gubernatorem auxilii petendi causa adit, sceptrum manu tenens, illudque coram Gubernatore protendens. Quod si Gubernator recusat, ille a societate acceptum sceptrum ad pedes ejus abjicit, sermone Batavorum dicens: *Vor my niet meer Compagnie Hottentot*; id est, nolo amplius Hottentottarum societatis esse. Sed plerumque voti sui compotes ad patrios lares redeunt. Ea est indoles incolarum harum regionum, a quibus Europaei promontorium bonae spei & circumjacentem regionem justissimo emtionis titulo acquisiverunt\*). Terra, in qua hoc promontorium deprehendi-

B 2

tur,

ers & Heykoms. At omnes hac sub generaliore, quam allegavimus, descriptione, comprehenduntur.

\*) Hottentottae supra dicto Kolbio a Judaeorum gente originem suam traxisse videntur. Neque desunt argumenta, quae huic conjecturae insigne pondus addunt. Est illorum pervulgata traditio de primis gentis suae parentibus *Nob* & *Hingnob*, quos olim per fenestram & januam in hunc terrae tractum venisse tradunt. Sunt celebrata illorum factificia, quibus prava quaevis corrigere atque Deorum sibi gratiam conciliare

con-



tur, & aëris salubri temperie, & copia omnium rerum, partim ad necessarios usus, partim ad commoditates & oblectationes vitae humanae pertinentium amoenissima est. Cingitur quidem altis praeruptisque montibus, quippe qui e faxis in altum exstructis & superimpositis constare videntur. Sed cum montes ipsi, tum inter illos diffusae valles, herbarum, plantarum, florum, frugumque fertiles, & pecori inservientes. Inter montes partim montes tigrum, qui non a tigribus, quarum receptaculum olim fuisse dicuntur, sed a maculis viridibus nomen habent; partim mons tabulatus, qui in vertice tabulae planae similis &, quod signum imminētis aquilonis haberi solet, nonnumquam candida nube tectus est; partim mons leonum, qui exigua depressione saxorum

a

contendunt, unde illa *Andersmacken* dicuntur. Sunt denique multifariae consuetudines, quas antiquis Judaeis imprimis in usu fuisse constat. Cum uxoribus suis levissimis de causis divortia faciunt. In jungendis matrimoniis interdictos cognationis gradus nunquam migrant. Primi-gēni filii in paterna hereditate praecipuis prae reliquis liberis praerogatiis gaudent. Mulieres partum enixae aut menstruo sanguinis profluvio adfectae immundae habentur, nec maritis ullam cum ipsis consuetudinem habere licet. Carne suilla aliisque cibis, quibus Judaeis vesci nefas est, se abstinēt, spurcitia fordibusque Judaeos superant. Et quis dubitare potest, quin sollemnis illa sinistri testiculi exsectio, qua sacerdotes eorum, quos Suri vocant, & puberes mares & novos maritos iniant, imitationem circumcisionis judaeae redoleat? Conf. Kolbii *Descript. & Samml. der Reisebesch.* Tom. V. ubi caerimoniae uberius enarrantur.



a monte tabulato disjunctus est. Hic autem non solum a leonibus olim hic saepe commorantibus, sed etiam a specie sua, humi jacentem & exserto capite raptum aucupantem leonem oculis subjiciente, nomen ducit, & a quo adventus navium ex specula observatus, exploso tormento sublatoque vexillo incolis indicatur. Est denique & mons Diaboli, quem ventosum quoque dicunt, unde ventus euronotus saepe mari & terra magnam stragem edens oriri dicitur. Circa urbem viridissima pascua, amoenissimae vineae & foecundissimi horti conspiciuntur. Nunc duorum tantummodo hortorum mentionem movebo, forte in toto terrarum orbe pulcherrimorum. Unus, cujus condendi celeberrimus chirurgus Johannes de Ribekius fundamentum posuit, & qui hortus illustris societatis appellatur, circiter ducentos passus a castello abest. Hunc procurrens e monte tabulato limpidissimus torrens circumfluit eumque ductis per illum alveis rigat. Hic ex omnibus mundi partibus excellentia poma atque hortensia invenimus. Mala, pira, castaneae, mala aurea, mala chinensia, Pompelmusae, mala japonica, fici, uvae varii generis, mala granata, persica & pruna damascena, & oculos & gustum oblectant. Et quam latus mihi campus aperiretur, si varia genera olerum, melopeponum, cucurbitarum, lactucarum, aliarumque plantarum enarrare vellem? Alter vulgo, *das runde Buschlein* dictus & in regione,

B 3

quae



quae nunc terrâ nova appellatur, obuius, non minus procreandis arboribus & plantis foecundus est. Non longe ab eo villa illa celebratissima Constantia a Governatore Steelio constituta abest, ubi ex vitibus rhenanis mirabili quadam mutatione generosissimum vinum pröducitur.

Oppidum ipsum firmo validoque Castello in tabulati montis valle insigni pulchritudine & elegancia est constitutum multisque sumtuosis aedificiis ornatum. Abundat omnibus rebus, quae adventantibus navibus & civibus usui sunt, nec sine injuria de magno pretio rerum venalium aliquis conquiri potest. Confines Hottentottae boves, oves & porcos, rustici & coloni frumenta, hortensia & legumina, silvae feras, Oceanus & terrae continentis flumina pisces adfatim suggerunt. Quaecunque autem aliae partes mundi propria gignunt, navibus advehuntur, nec dubito, quin in visceribus montium excellentissima metalla adhuc irreperta delitescant. Neque desunt rationes, quae hanc conjecturam affirmant \*). Facies urbis hinc atque inde diversa & jucunda est. Plateae ad lineam factae a littore usque ad magnum hortum illustris societatis pertinent. Inter adjacentes montes occurrunt & amoenissima prata, ubi multi greges, multaque boum armenta salubribus herbis & limpida aqua nitescunt, & fructuosi campi, qui aestate variis frumentis flavescences pulcherrimum oculis prospectum suppeditant. Et si  
aqui-

\*) Hoc argumentum copiose excussit Kolbius l. c. pag. 226 sqq



aquilonis vehementia fructibus saepe nocet, tamen salubritas aëris & foecunditas fundi calamitatem abunde compensat. Agrum conjugatis bovis arant, qui, ne alucinentur, a duce funiculo cornibus alligato ducuntur. Sed maturae fruges mergitibus in orbe collocatis a conjunctis bovis aut equis in area teruntur. Verum, quod hoc promontorium omnibus memorabile facit, est insignis ille atque omnium sermone celebratus portus centum prope navium capax. Sinus pulcher & ovalis. Crepido autem novem milliaria ambitu suo complectitur. Medium sinus instructum est munito validoque castello quinquangulari, cujus unumquodque propugnaculum viginti grandioris ponderis tormentis defenditur. Hoc autem castellum insigne est & munitionibus & contiguis aedificiis, in quibus Palatium illustris Gubernatoris, Nosocomium, spatiosa mercium recondendarum horrea & armamentaria spendidam speciem exhibent. Sed quando orationem meam finirem, si quaevis commemorabilia hujus Promontorii describere conarer. Possem rariorum animalium, inprimis Cynocephalorum, Bubalorum, Chameleonum, Alcium, onagrorum, Elephantorum, Capreolorum moschi, Leopardorum, Pantherarum, Lyncium, Ichneumonum, Rhinocerotum, Tygridum & aliorum mentionem facere. Possem praeter alias aves de Aquilis, quae hic *Strundvögel* nominantur, de ossifragis, de merulis versicoloribus, de Motacillis, de Coeruleis, de avibus Canariis, de Falonibus, de  
Pha-



Phasianis, de Struthionibus, de Gallis Africanis, de Cocothraustibus, de gruibus, de Pavonibus & Pelecanis varia auditu non inamoena vobiscum communicare. Possent quoque monstra marina nempe Delphinos, leones marinos, carcharias, phocas, Lupos marinos, torpedines, nec non chrysones, pisces alatos, Aboadors nominatos, congros, cephalos, pagros, gammaros, conchilia, cochleas & stellas marinas commemorare. Possent denique amatoribus rerum naturalium varii generis insecta praecipue Aspides, Dispades, Presteres, Cobras de capello, Ceraftas, pulices marinos, mures aquaticos, locustas, Scarabaeos, Scorpios, Cossos, & Curculiones vivis depingere coloribus. Sed haec & multa alia silentio praetereo, ad alteram partem orationis meae, brevem Historiam detecti hujus promontorii continentem, me conversurus.

Lusitani primi ausi sunt Africam circumnavigando rectum in Indiam cursum peruestigare. Rex Johannes secundus, felicitatem Portugalliae quaerens, & virtutum suarum causa Princeps Perfectus nominatus, demandavit hanc expeditionem praefecto classis Bartholomaeo Diazio, cujus rei nauticae peritiam aliquoties jam exploratam spectatamque cognoverat. Is anno millesimo quadringentesimo octogesimo sexto vela ventis dabat, sed oborta saeva tempestate ad hoc promontorium delatus illud nave frumentaria amissa Cabo Tormentoso, id est, promontorium impetuofum vocabat.



bat. Tunc indignatio classiariorum, verentium, ne majores adhuc molestiae impenderent, illi necessitatem imponebat, Lisbonam revertendi. Ibi mense Decembri anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo adveniens statim regem de sua expeditione & praecipue de difficultatibus hoc promontorium superandi accurate edocuit. Rex autem momentum hujus detectionis ex litteris Covillani cognoscens Cabo da bonna Esperanza, id est, promontorium bonae spei nominabat, quod nomen etiam hucusque retinuit. Nunc enim sibi rectam viam in Indiam apertam, & secundum iter sine mora suscipiendum esse perspiciebat. Sed cum in eo totus esset, ut hoc magnum civibusque suis tam salubre consilium perficeret, magno moderatori mundi illum rebus mortalium eripere placuit. Regnum ipse legitima prole destitutus multis animi dotibus ornato principi Emanueli relinquebat, qui secundo anno imperii sui verno tempore quatuor naves, nauticis, tormentis bellicis aliisque rebus necessariis instructas apparari jussit. His Don Vasquezus, alias Vasco de Gama, Vir ad hanc expeditionem aptissimus praeerat. Nono die mensis Julii vela solvit, & vicesimo Novembris ad promontorium bonae spei adpulit, sed ibi non commoratus versus Mozambicam, Mombazam, Melindam, oras Malabaricas & Insulam Angedivam cursum



sum suum direxit atque inde reparatis navibus in Europam re-  
navigavit. Post faustum ejus in patriam reditum sanctioris  
consilii administri Regem Lusitaniae unanimes orabant, ne ul-  
lis sumtibus parceret, quibus nova classis ad suscipiendum  
novum iter compararetur. Haec ex tredecim tam longis,  
quam parvis navibus constitit, eique praetor Petrus Alva-  
rezius Capralius praefectus est. Quo extincto Don Vasquez  
de Gama iterum, post hunc Franciscus Albuquerque impe-  
perium suscepit. Sed omnes hi classium praefecti promon-  
torium occupare non ausi, sed aqua & alimentis instructi in  
Indiam cursum persecuti sunt. Quid? quod adeo primus re-  
gis Vicarius & Indiae Praefes, Franciscus Almeyda, multis  
in India rebus praeclare gestis, ad hoc promontorium na-  
vem appellens, jurgio inter barbaros & milites exorto telo  
venenato hic est transfixus, & cum illo simul undecim Cen-  
turiones & septuaginta quinque nautici interierunt. Sed  
Portugallici hanc mortem civium suorum modo barbaris  
perquam terribili ulciscabantur. Nam post aliquot annos  
reversi, tormentum pulvere nitrato & glandibus plumbeis  
factum in terram exposuere, & simulantes, se injuriae illa-  
tae oblitos esse, blando alloquio Hottentottis persuadebant,  
ut illud funibus promoverent. Quibus trahere incipienti-  
bus, pone sequens tormentorum vibrator fune incendiario  
pulve-

pulverem nitratum accendit, & inter eos magnam stragem  
edidit. Qui incolumes evasissent, praecipiti fuga salutem  
petebant. Omnibus autem tantus terror incutiebatur, ut  
ad hodiernum usque diem omne tormentorum & sclopeto-  
rum genus, quod *pu makum gutts* appellant, vehementer aver-  
sentur. Sed & tunc Portugallici opportunam occasionem  
promontorium occupandi dimittebant. Cum vero anno  
millesimo sexcentesimo in Hollandia initium Indicae merca-  
torum societatis factum esset, etiam hoc promontorium na-  
vibus Hollandicis semper pro receptaculo erat, ubi aqua &  
aliis rebus necessariis instruebantur. Quo consilio semper  
vallum struentes barbaris aditum ad tentoria & naves suas  
intercludebant. Quin etiam certo loco quadratum lapidem  
relinquebant, in quo nomen cujusvis adventantis navis, tri-  
rarchi & nobilissimorum vectorum, nec minus tempus ad-  
ventus incisum erat. Litterae autem in plumbea atque fer-  
rumine obducta theca loco nauticis noto recondebantur.  
Hoc modo promontorium usque ad annum millesimum sex-  
centesimum quinquagesimum perlustrabant. Tum vero  
cum annua classis ex India redux supra dicto consilio hic ap-  
pulsam aliquamdiu consisteret: inter alios Hollandicus Chi-  
rurgus, cui nomen erat Johanni de Riebeckio, homo multo  
rerum usu insignis, hoc temporis intervallum haut neglexit,



quo hoc promontorium, & quid ferre possset & quid ferre recusaret, & qua in re illustri societati usui esse possset, magna cura exploraret. Qui simulac incolumis in Hollandiam pervenerat, societati illustri & coram & litteris sententiam suam aperiebat, quomodo hoc promontorio maximo cum usu uti possent. Consiliis ejus comprobatis, statim quatuor naves apparabantur atque societatis curatores Riebeckium, quem classicae ob singularem ejus prudentiam praeficere non dubitaverant, locum occupare, & ejus tuendi causa munitum castellum aedificare jusserunt. Auspicatissimus vero eventus Societatis Proceribus aperto erat argumento, se commodis societatis multo melius consuluisse, quam si in deligendo praetore multarum imaginum, aut externae duntaxat dignitatis rationem habuissent. Nam quum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo ad promontorium vento secundo appulisset, sua comitate & beneficiis Hottentottas brevi adeo sibi devinxit, ut non solum ab ipsis armenta porcos & oves, sed etiam tractum quendam, ubi cum civibus suis commode habitare possset, pretio constituto emeret. Quo impetrato statim quadrangulum castellum exstruebat, domicilia & horrea mercatoria aptabat, agrum colebat & hortos instruebat. Quibus ex animi sententia compositis, societati suasit, ut coloniae huic agro imponerentur. Itaque  
brevis



brevi tempore quatuor coloniae nempe *Capita*, *Stellenboschia*, *Drakensteinia* & *Waveria* condebantur. Ad hoc primi coloni ad obtinendos fines pecunia, frumento omnique necessaria supellectile sunt instructi. Mulieres, quae initio deerant, ex orphanotropheis Amstelodami, Rotterodami, & alibi florentibus sortiebantur. Quid? quod illustres societatis Indicae Antistites fines suos emendo aliud adhuc territorium Mosambicam inter & promontorium bonae spei situm, mirum in modum proferebant, judicia publica ordinabant, & illustrem, qui toti Promontorio & ejus coloniis praeesset, Praesidem reliquosque ministros, qui fisci, qui rei mercatoriae, qui administrandae justitiae, qui decidendarum litium, qui matrimoniorum & pupillorum, qui reddituum sacrorum atque aliarum rerum ad cultum divinum pertinentium, qui denique rei militaris ac tormentariae curam agerent, constituebant. Praeterea praefectos provinciales deligebant, qui causas minoris momenti inter colonos dirimerent atque illorum saluti & incrementis quavis ratione consulere. In primis singularis illa illustris societatis providentia, quam in instituendo cultu Dei sacro & templis tum in ipso promontorio, tum in pagis colonorum aedificandis adhibuit, digna est, quae summis laudibus efferatur.

Possem de his aliisque momentis, in primis de eximiis nonnullorum Praefectorum aliorumque Societatis Administratorum meique ipsius dilectissimi Patris promeritis uberius



commentari. Sed verens, ne vestra, Auditores! patientia abuti videar, oratiunculae meae vela contraho. Quod superest Deum immortalem ardentissime imploro, ut cunctae Barauorum Reipublicae ejusdemque Celsissimo Gubernatori Hereditario, Serenissimo Principi Arausionensi, ut Florentissimae Societati Indicae ejusque Illustribus Curatoribus, ut Amplissimo meique Amantissimo Promontorii Praefecto Tulbachio reliquisque de Societate bene merentibus Administris, ut dilectissimae familiae meae tanto temporis ac locorum spatio a me disjunctae, ut cunctis meis Cognatis, Fautoribus & Amicis tum in ipso Promontorio, tum in Hollandia, tum denique in Germania obviis, ut Reipublicae Hamburgensi, alteri meae Patriae nunquam obliviscendae omnibusque de ejus salute augenda sollicitis ordinibus, vt praecipue huic scholae ubivis locorum atque adeo in Africae partibus maxima cum laude celebratae, ut duobus Mülleris celeberrimis, Doctoribus meis ob innumerabilia in me collata beneficia omni reverentiae, pietatis & perpetuae memoriae cultu devenerandis, atque reliquis hujus Lycei Praeceptoribus clarissimis, ut denique humanissimis carissimisque Commilitonibus & amicis omnia prospere atque feliciter evenire quam clementissime jubeat.

---

A LATIN ORATION  
 CONCERNING THE  
 CAPE OF GOOD HOPE

PUBLICLY DELIVERED  
 IN THE HAMBURG ACADEMY  
 ON THE TENTH DAY OF APRIL 1767

BY  
 GYSBERT HEMMY  
 FROM AFRICA

PUBLISHED BY  
 DIETRICH ANTONIUS HARMSSEN  
 OF HAMBURG